

intuitu hujus promissionis, quæ est obligatio moralis. Generaliter enim verum est, quod sacramenta causant physice effectus suos, modo tamen existant, et non aliter.

XI. Dico quinto: Eucharistia causat poenæ remissionem principaliter, in quantum sacrificium est, quia est oblatio expiativa peccati, de quo dicemus infra disput. xxxii, art. iii. At vero in quantum sacramentum, non remittit directe poenam, nisi ratione fervoris charitatis, quem excitat, ut dicit hic S. Thomas articulo quinto, si quidem in quantum sacramentum, solum ordinatur ad sanctificandum nos, non ad tollendum poenam. Omnes istos effectus intelligitur dare hoc sacramentum quantum est ex se, et ex proprio valore, nisi impediatur ex prava dispositione.

TEMPUS QUO EUCHARISTIA PRÆSTAT SUOS EFFECTUS.

XII. Ex effectibus enumeratis constat aliquos non dari statim de presenti, ut glorificatio animæ et corporis: similiter auxilia actualia ad resistendum temptationibus dantur pro eo tempore, quo talis necessitas occurrit. Solum est difficultas de tempore, vel instanti quo causat gratiam ex opere operato. Est enim promissa ista gratia manducationi sacramenti, Joan. vi: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*. Actio autem comestionis habet magnam latitudinem, et consumit multa instantia et tempus. Primo enim alimentum sumitur in ore: secundo trajicitur per guttur, et tertio reponitur in stomacho, ibique per calorem naturalem digeritur. Et quidem quantum ad primam partem, quando solum cibus est in ore, nondum dicitur manducari; qui enim tenent in ore, et nullo modo tra-

jiciunt, non dicuntur comedere. Unde difficultas solum est de illo tempore, quo incipit tractio alimenti per guttur usque ad repositionem in stomacho, quando cessat motus tractionis, pro quo tempore, vel instanti effectus sacramenti detur in anima; quod valde difficile est assignare.

XIII. Quidam ergo censent, hoc sacramentum non causare gratiam in instanti, sed toto illo tempore quo manducatio durat; quæ sententia attribuitur Majori in iv, dist. ix, quæstione prima. Et Cajetanus in articulo primo hujus quæstionis, non solum id tenet, sed etiam quod quamdiu durant species sacramentales in stomacho, continuo causant gratiam, accommodatque illud dictum Christi, Joan. ix: *Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi*. In hoc enim proportionari videtur cibus iste corporali cibo, quod quamdiu est in stomacho, habet effectum suum. Alii existimant non causare hoc sacramentum effectum suum in instanti nostri temporis, sed in instanti superioris ordinis, simili angelico, æquivalenti parti nostri temporis; eo quod effectus ille datur per actionem, quæ in se est tota simul, quia præstat indivisibilem effectum gratiæ: includit autem manducationem, quia illi est promissus effectus; et sic debet æquivalere tempori nostro: quam sententiam probabilem judicat Suarez hic disput. lxxiii, sect. iv, conclusione secunda.

XIV. Alii dicunt hoc sacramentum conferre gratiam in instanti nostri temporis, ut tenet Soto in iv, dist. xi, quæst. ii, art. i, et probabile censet Suarez ibi conclusione tertia. Sed Soto designat hoc instans, quod sit illud in quo primo verificatur species sacramentales pervenire ad stomachum, quod est esse finitam manducationem; quæ tamen designatio ipsi Suarez nimis rigida vide-

tur et aliis auctoribus; tum, quia antequam perveniat cibus ad stomachum, et cesset motus ille, jam verificatur manducari cibus, quia jam trajicitur; gratia autem promissa est a Christo ipsi manducationi, non repositioni in stomacho, vel digestionem, dum dicit: *Qui manducat hunc panem, etc.* tum etiam, quia potest aliquis sentire difficultatem trajiciendi species sacramentales usque ad stomachum, et tunc vel calore naturali, vel humoribus concurrentibus possunt corrumpi species: vel etiam ipse homo mori potest antequam illæ perveniant ad stomachum, et tunc carebit fructu sacramenti, cum tamen vere manducaverit, quod est valde rigorosum.

XV. Unde alii mitigant hunc modum dicendi, et assignant pro instanti operationis gratiæ illud in quo fit tractio manducativa; vel etiam illud instans, in quo tota hostia occupat illud spatium gutturis, antequam perveniat ad stomachum: qui modi ponuntur a patre Suarez. Sed iste ultimus patitur easdem difficultates, quas sententia Soti, quia illa integra tractio et occupatio intra guttur potest impediri ob difficultatem infirmi in trajiciendo, vel propter magnitudinem hostiæ, et interim potest mori infirmus, vel species corrumpi, sicque carebit fructu sacramenti, cum tamen manducaverit aliquid de illo, etsi non integram hostiam. Primus autem modus difficile salvat manducationem, quia cum cibus incipit tangere superficiem gutturis, non manducatur, quia nondum trajicitur, sed immediate post incipiet tractio. Magister Nugno hic articulo primo tenet sententiam Soti, quod tunc primo, quando pervenit ad stomachum; taliter quod si pro illo instanti subjectum sit indispositum, possit toto tempore quo species sa-

cramentales durant sine corruptione præberi isti effectus, si subjectum disponatur; et sic temperat sententiam Cajetani. Et tandem Suarez in fine illius sectionis dicit rem hanc esse incertam, et sapientiæ atque arbitrio Christi remittendam.

XVI. Ex his sententiis non admitto illos qui negant gratiam dari in instanti nostri temporis, sed dicunt dari in tempore, vel instanti angelico; nam determinatus gradus gratiæ connaturali modo non causatur in tempore, sed in instanti, sicut patet in aliis sacramentis. Hæc autem sententia non assignat determinatam durationem, in qua causetur gratia; sed totum illud tempus indeterminativè. Dicere autem quod continuo influit sacramentum gratiam, quamdiu non corrumpitur, est sine fundamento; et melioris conditionis esset, qui majorem hostiam sumeret, vel longiori tempore consumeret.

XVII. Secundam vero sententiam non admitto, quia talis modus operandi supra tempus nostrum, non est compossibilis modo operandi sacramentorum, quæ operantur per motum et tempus. Productio autem gratiæ alligata est actioni sacramentali et sensibili, non ergo operatur Deus in sacramento per instantia angelica: neque assignat illa sententia quanto tempori nostro æquivalet illud instans, et sic in ordine ad nos semper manet ambiguum quando datur effectus sacramenti.

XVIII. Ex aliis autem sententiis illud videtur probabilius, et eligendum, quod in illo instanti in quo verificatur, quod species sacramentales attingat primam partem determinatam, et aliquotam gutturis, tunc datur gratia, quia tunc verificatur, quod manducatur Christus sensibiliter et sacramentaliter; licet ante quamlibet partem determinatam detur pars incerta et indeter-

minata, quæ attingit guttur: tamen illa attingentia non sufficit, quia nondum est sensibilis, nec designabilis et consequenter neque sacramentalis. Requiritur autem ad dandam gratiam, quod sumptio sacramentalis sit; et cum in qualibet parte sit totus Christus, ideo qualibet parte attingente guttur, verificatur, quod totus Christus manducatur, quod in aliis cibis materialibus verificari non potest; quod si aliquis tantam habeat difficultatem in trahendo species, quod neque etiam illam minimam partem gutturis possit attingere, carebit effectu sacramenti, quia revera non manducavit: sed quid si ille qui inceptit trahere species, et per aliquam partem determinatam trajecit, evomathostiam, habebitne effectum sacramenti, an carebit illo, si quidem videtur non manducasse.

XIX. Respondetur eandem esse difficultatem si quis usque ad stomachum trajecit species et evomit. Dicimus enim, quod in utroque casu verificatur quod manducavit, et consequenter habet effectum sacramenti, quia effectus illius non dependet nisi ex manducatione, non ex digestionem cibi, sicut alimentum corporale: vomitus autem non opponitur manducationi, sed potius supponit, licet impediat digestionem. Unde non est simile de cibo corporali, et de sacramentali, quia cibus corporalis habet effectum nutriendi mediante digestionem, et ita requiritur quod pervenerit cibus ad stomachum, ubi solum fit digestio: cibus autem sacramentalis non operatur mediante digestionem, ideoque non requiritur quod pervenerit ad stomachum, sed mediante sumptionem, dummodo sit sensibilis et sacramentalis; tunc enim causabit effectum juxta dispositionem summentis; vel si tunc non habuerit dispositionem, carebit effectu propter

obicem. Nec obstat quod hoc sacramentum sit permanens, et sic poterit dare effectum toto tempore quod durat. Dicimus enim, quod licet hoc sacramentum in se sit permanens, tamen effectum suum præstat mediante sumptionem, et hæc fit per modum, et in instanti extrinseco consummatur.

XX. Contra conclusiones dictas vix sunt difficultates aliquæ. Nam licet multæ auctoritates sanctorum referri soleant ad probandum hoc sacramentum dare primam gratiam, et remissionem peccatorum, dico quod auctoritates, quæ dicunt hoc sacramentum dare vitam, loquuntur de vita per modum cibationis et nutrimenti, quæ primam gratiam supponit: si autem dicunt hoc sacramentum liberare a peccato, et remittere peccatum, vel intelliguntur de peccato veniali, vel de præservatione a mortalibus; vel quod aliquando hoc sacramentum dat primam gratiam per accidens, ut sequenti articulo dicemus.

XXI. Circa remissionem venialium restat difficultas, an sacramentum hoc remittat illa excitando fervorem charitatis, an etiam sine tali excitatione. Videtur enim S. Thomas in articulo quarto utrumque ponere, et quod ratione excitationis charitatis tollat peccata venialia, et quod ratione cibationis per gratiam, quatenus proprium est cibi restaurare id quod quotidie deperditur. Et videtur difficile, quomodo peccatum veniale remittatur sine aliquo exercitio vel actu charitatis, cum peccatum veniale non opponatur ipsi habitui, sed actui seu fervori charitatis.

XXII. Sed respondetur semper intervenire in remissione venialium aliquem motum, seu actum tendentiæ in Deum, sed non semper esse formalem actum charitatis. Itaque per actum charitatis suffi-

cienter remittuntur peccata venialia sine aliquo sacramento, vel sacramentali, et solum ex opere operantis, quia fervor seu actus charitatis est id cui opponitur peccatum veniale; si autem non sit motus seu actus charitatis, sed motus aliquis reverentiæ erga Deum, saltem virtualiter, sicut est actus fidei, vel ille actus quo quis vult, aut voluit suscipere sacramentum, vel rebus sacris uti, talis motus per se solum non est sufficiens remittere peccatum veniale, est tamen sufficiens ut adjuncto sacramento, vel aliquo sacramentali (sicut est aqua benedicta, et aliis similibus) remittatur peccatum veniale ex opere operato, etiamsi actu non habeat fervorem charitatis. Et ita hoc sacramentum, cum de se sit nutritivum charitatis, speciali modo habet remittere peccata venialia ex opere operato, et si fervorem charitatis non excitet; supponendo tamen aliquem actum, seu affectum, quo quis voluit accedere ad sacramentum; quod est virtualis fervor, et sufficit ut adjuncto sacramento possit remitti peccatum veniale.

ARTICULUS II.

Utrum per accidens possit hoc sacramentum aliquando conferre primam gratiam?

I. Negant plures auctores, ut S. Bonaventura, Gabriel, Major, Gerson, et alii, quos citat et sequitur pater Vazquez hic disp. cv. Et capite quarto fundamentum est, quia neque ex institutione sua, neque ex ipsa natura et formalitate hujus sacramenti, neque ex declaratione Ecclesiæ, aut traditione patrum constat hoc sacramentum dare aliquando primam gratiam: ergo nullo modo

id asserendum est. Consequentia patet, quia cum sacramenta pendent ex institutione Christi, non potest colligi quod operentur nisi aliquo ex dictis principiis. Antecedens vero probatur, quia in primis ex institutione hujus sacramenti, et ex ejus natura id non colligitur, quia tota efficacia sacramenti ad aliquem effectum derivatur ex ejus significatione; at vero significatio hujus sacramenti nullo modo (etiam per accidens) ducit in remissionem peccati mortalis, si quidem ejus significatio solum est per modum cibi et potus; cibus autem et potus sunt ad recreationem viventium, non ad suscitationem mortui, quia mortuus manducare non potest. Unde formatur ratio, quia nulla causa potest (etiam per accidens) excedere suam rationem formalem operandi; formalis autem ratio operandi in hoc sacramento est per modum cibi et alimenti seu augmenti gratiæ; ergo nunquam potest extendi addandam primam gratiam, quia tunc non operaretur ut cibus.

II. Ex traditione vero patrum non constat hunc effectum habere, quia vel dicunt generaliter valere contra peccata, et intelligi possunt de venialibus; vel specialiter dicunt valere contra mortalia, et intelligi possunt valere per modum præservationis, non per modum remissionis; nunquam enim dicunt peccatum mortale remittere, aut si id dicunt, ita absolute id docent, quod non in solo aliquo casu, et per accidens dicant ad id valere, sed absolute et simpliciter; quod opposita sententia etiam tenetur explicare, et non admittere. Denique Scriptura in institutione hujus sacramenti potius requirit hominem esse in gratia, cum dicit I Corinth. xi: *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat*; ergo sumptio hujus sacramenti non ordinatur usquam a